DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
CONTAGIORUM
VENEREORUM DIFFERENTIA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae & Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA

in celeberrima

C. R. ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA

PUBLICAE DISPUTATIONI

SUBMITTIT

Antonius Porak,

Bohemus Lisovensis.



In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis . Martii 1841.

VIENNAE.

TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

Vergesse man doch nie, dass eine Merkurialkur eine Vergiftungskrankheit sey, und hüte sich daher, nicht so leichtsinnig mit dem Metalle umzugehen, und bei den unbedeutendsten Zufällen sogleich zu diesem heroischen Mittel zu greifen.

Hufeland.

—„ ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet.

Asclepiades.

In quamcumque autem domum ingressus fuero, ad aegrotantium salutem ingrediar.

Jusjurandum Hippocratis.

CLARISSIMO

ATQUE

ILLUSTRISSIMO NEC NON INTEGERRIMO

DOMINO DOMINO

JOACHIMO EINKHEMMER

NOBILI DE REICHWITZ,

C. R. SECRETARIO AULICO.

VIRO

SCIENTIA, HUMANITATE, BENIGNITATE

AEQUE AC

ANIMI CELSITATE PROBITATEQUE CANDIDISSIMA

INSIGNI

TAMQUAM ANIMI GRATISSIMI

MONUMENTUM

PIA CUM DEVOTIONE

PRIMOS HOS LABORUM MEDICORUM FRUCTUS

offert ac consecrat

gratissimus ac devinctissimus

Auctor.

Generose Domine!

Vir illustrissime & clarissime!

Quod anxius petere praesumsi, **TU CLARISSIME!** illico clementissime indulsisti — veniam scilicet gratiamque mihi largitus es, coronandi primitias has studiorum meorum, arae Aesculapii sacratae imponendas, **NOMINE TUO**, longe celebrato. Cordis mei fibrillae omnes perinde amoenissimis dulcissimisque vivificatae sensationibus, **TIBI** praesentibus grates, pro gratia **TUA** insigni, rependunt maximas, rependentque semper!

Sit propterea, intime rogo, ipsissimum hoc opusculum monumentum aeternum meae summae erga **TE** observantiae et

gratitudinis! Sit autem — hoc denuo rogo — sit etet tessera mihi **TUAE** futurae erga me benevolentiae, **TUIQUE** perennis favoris! **TUO** generosissimo animo, **TUO** celsissimo patrocinio se studiaque sua et in posterum humillime commendat

gratissimus ac devinctissimus

Auctor.

Praefatio.

Quum mihi, in schola medico practica auditori quinti anni, occasio sit data, tractare luem universalem ex contagio gonorrhoico scaturientem, multa de contagiis venereis quaesita et conjesta, praeprimis in scriptis Autenriethi, Ritteri et Eisenmanni legere fui coactus, quo factum est, ut hanc potissimum contagiorum doctrinae partem hac intentione tractandam susciperem, ut collegis meis multa de hacce quaestione pathologica in diversis auctoribus disputata, hic concentrata suppeditem. Verum est, quod tota haec res adhuc in dubio versari, frustraque in alterutra sententia confirmanda laborari confirmatur, quod autem facile intelligitur, si viros doctos argutiis nimium indulgisse, hypothesibus inter se pugnasse, et ipsius utriusque morbi observationes, eorumque accuratam perceptionem, qua una via ad verum accedere licet, neglexisse consideramus.

Quaestionem vero de contagiorum venereorum differentia aut identitate ad rei medicae scientiam stabilioribus principiis magna ex parte fundandam pertinere, atque tam qua ad pathologiam, quam therapiam gravem esse, Professor Gietl nuper, inter varias dyscrasiae gonorrhoicae formas praecipue in tuberculis ex gonorrhoea curatione jodino, prosperrimo experuit successu, unde non infirmissimum contagii syphilitici atque gonorrhoici differentiae praesidium derivare licet.

Quas igitur in res quum aliquantum operae conferrem, et quae alii experti sunt, in rem meam converterem, ad eam sententiam perveni, quam rationibus hoc libello probandam, in publicum emitto.

Continet hic libellus:

Capite I^mo. introductionem atque partitionem;

Capite II^do. de genitalium ulceribus ab antiquissimis inde temporibus usque ad luis syphiliticae in Europa (circa annum 1493) eruptionem apud varios scriptores mentiones;

Capite III^tio. profluvia gonorrhoica ab antiquissimo inde tempore usque ad **Balfour** et **Tode**, sive annum 1774;

Capite IV^to. differentiam contagii syphilitici et gonorrhoici argumentis probandam, quoad originem, symptomatologiam et sedem tam morborum primariorum tam secundariorum, dein quoad therapiam utriusque morbi et inoculationis eventus in paragraphis quinque.

Voluntas mihi quamquam non defuit, tamen difficultates eae erant, quae meis quidem viribus vix superari possent. Itaque hic libellus meus utinam benignis lectoribus atque aequis judicibus gaudeat!

Auctor.

CAPUT I.

Introductio atque partitio.

De contagio syphilitico quum prius omnes medici, ut natura sua uno eodemque in scriptis suis consensissent ex eoque uno varias morborum venereorum formas exsistere universi artem medicam professi ex cathedris tradidissent, dimidio saeculi XVIII. exstitere viri, quales erant Balfour in Scotia, Tode in Dania, qui veterioribus usi argumentis atque acriori ingenio instructi, inveteratam istam doctrinam aggredi atque exturbare conarentur. Oborto inde de contagii differentia certamine, per plures annos continuos inter medicos maxima exacerbatione disceptatum est, necdum ad hoc tempus controversia ad finem perducta, sed ut poëtae verbis utar, adhuc sub judice lis est. Quod quamquam ita se habet, tamen, ut medicorum, qui syphilitici unam eandemque esse naturam contendunt, numerus in dies minuitur, ita adversariorum sententia novis in dies rationibus, quaestionibus atque experimentis confirmatur. Jam ut dicam, duas syphilidis formas, quas dicunt primarias, morbos esse censeo prorsus inter se diversos, exque contagiis non minus diversis, nec quidquam inter illas praeter sedem, naturam contagiosam et propagationis modum esse commune, nec non quod fieri possit, ut ex utraque enascantur morbi secundarii. Quod ita esse hoc libello si potero demonstrabo.

Utraque igitur sedem habet suam vel in partibus genitalium exterioribus vel interioribus, utraque contagiis liquidis, ipsa natura inter se diversis, propagari po-

test, et quum utraque coitu in alium transire soleat, commune „morbum venereorum“ nomen iis assignatum volo. Praeterea, quod ex utraque alios morbos, quos dicimus secundarios et consecutivos, enasci posse dixi, illud vel maxime hac re efficitur, ut differentia illa magis et planius adpareat. Morbi autem venerei nomen quum a vetusto inde tempore usurpetur, solitumque propogationis morbi modum optime exprimat, immutatum retinere censeo.

Ad morbos venereos referuntur:

A. Lues syphilitica s. venerea;
1. syphilis topica s. lues syphilitica primaria;
2. lues syphilit. secundaria, s. dyscrasia syphil.;
3. lues degenerata s. dyscrasia syph. degenerata;

B. lues gonorrhoica;
1. gonorrhoea virulenta s. lues gonorrh. primaria;
2. morbi gonorrhoici consecutivi;
   a) metastases gonorrhoicae;
   b) ulcera gonorrhoica membranarum mucosarum;
   c) desorganisationes gonorrhoicae systematis genitalis et uropoëtici;
3. dyscrasia gonorrhoica.

CAPUT II.

De genitalium ulceribus ab antiquissimis inde temporibus usque ad luis syphiliticae in Europa (circa annum 1493) eruptionem apud varios scriptores mentiones.

Jam apud antiquissimos auctores ante primam luis syphilit. in Europa eruptionem, vestigia, imo loci inveniuntur, ex quibus ulcera in virorum ac mulierum genitalibus iis minime fuisse ignota, satis liquet.

Hippocrates enim in libro, qui est περι ἑλκῶν diversa adfert medicamina „si pudendum ulceratum fuerit — si pudenda ulcere fervido laborarent.“

Uberius Celsus de genitalium morbis, tum quoad pathologiam quam therapiam spectant, agit. In libri VI. capite XVIII. praemissa excusatione, quod jam res sibi sint explanandae, quarum autem difficilem esse explanationem et pudorem et artis praecepta servantibus: tamen hac re à scribendo se non deterreri affirmat, quia genitalium morborum curatio in vulgus etiam praecipue sit cognoscenda. Transiens deinde ad colis morbos, primum phimosim et paraphimosin tractat, tum de ulceribus, de phagadaena et de carbunculo in cole nascente exponit. Sequitur inde de testiculorum atque ani morbis, de rhagadiis, condylomate et haemorrhoidibus expositio (A. Cornel. Celsi de medicina libri octo. p. 395 — 404.)

Aëtius Amidenus, qui vixit saeculo p. Chr. n. sexto et superiorum temporum medicos compilavit, in pluribus capitulis de genitalium morbis refert.

Item Paulus Aegineta (altero saeculi septimi dimidio) in libro „de re medica“ tertio, cap. 59, quod „ulcera pudendorum et ani,“ inquit cum inflammatione non conjuncta, remediorum valde exsiccantium egent.

Nec tamen medici illius temporis uni ad ejusmodi ulcera animum advertebant, imo nec artis medicae imperiti, poëtae, historiaeque scriptores ea ignorabant, uti loci huc pertinentes apud Horatium, Juvenalem etc. ostendunt, de ulcerum autem origine ex coitu impuro omnes tacent. Pari modo medicorum antiquitatis nullus mulieris foedae consuetudinem morbi topici causam unquam fuisse aperte dicit, nec ullius ante Salicetum (saeculo XIII.) scriptis edocemur, utrum morbum istum hoc modo exoriri posse existimaverit, nec ne.

Rolandus Parmensis (sub finem saeculi XII.), qui »de cancris et fistulis et aliis pustulis in genitalibus consurgentibus« scripsit, vocabulum »cancer« si-

mili jam ac posterioris aetatis medici significatione usurpat, id commemoratione dignum censeo.

Guilielmus de Saliceto, Veronae medio saeculo XIII. chirurgiae professor, primus varias genitalium affectiones morbosas coitui cum mulieribus impuris aliqua ex parte attribuit: „De pustulis albis vel »rubeis et de milio et de scissuris et de corruptionibus „vel hujus modi, quae fiunt in virga vel circa praepu„tium propter coitum cum foetida muliere aut cum me„retrice, aut ab alia causa.« Postquam (Chir. lib. I, cap. 42) ulcera descripsit, exque iis febres, haemorrhagiam adeoque mortem consequi posse ostendit, ad eorum curationem transit, atque pertractationem hunc in modum concludit: „Attende hic, quod ablutio cum „aqua frigida et abstersio cum petia munda et iterum „ablutio, dum incipit post coitum cum foeda muliere „aliquod corruptionis futurae vestigium, defendit per„fecte virgam a corruptione futura, saltem ob illam „causam, maxime si post illam ablutionem fiat roratio „et quaedam ablutio vel loci jam abluti aspersio cum „aceto modico aut petiis in aceto infusis virga totaliter „involvatur.« Cap. 48 chir. Magnam igitur munditiem, aqua gelida, atque aceto ablutionem tanquam remedia prophylactica commendat.

Joannes de Gaddeschen, medicus anglicus (vixit primo saeculi XIV dimidio) in „Rosa anglica« lib. II. locos aliquos magni momenti huc referendos affert: „Cura ulcerum virgae.« — „Ulcera virgae „virilis contingunt vel ex coitu cum juvencula, vel ex „coitu cum menstruata, vel ex retentione urinae et „spermatis.«

„Item in supercalefactione virgae fomentetur vir„ga cum lacte caprino et alio tepido, et superponatur. „Sed si quis vult membrum ab omni corruptione ser„vare cum recedit a muliere, quam habet suspectam de „immunditie, lavet illud cum aqua frigida cum aceto

„mixta vel de urina propria interius vel exterius intra „praeputium. In illo vino madefiat pannus lineus vetus „et superponatur loco aegro; ulcus enim desiccat et „cancrum interficit. Sed si ibi non sit, nisi excoriatio „sola, tunc pannus lineus vetus in aqua rosarum cali„da intingatur et superponatur — — pulvis olibani cum „agrippa, quia consolidat vulnera in virga habita ex „coitu cum virgine.«

Uberrime atque dilucide hanc materiam tractat Petrus de la Cerlata, qui scripsit initio saeculi XV; „Fieri potest,« inquit, „ut nascantur, ex retentio„ne illius materiae, quae remanet inter pellem et prae„putium ex actione viri cum foeda muliere.« Et alio loco: „Ulcera virgae fiunt ex apostemate, aut ex in„ordinata fricatione, aut ex inordinato tactu.« Tum diversam eorum naturam tractat, monitisque discipulis, ne stiptica prius adhibeant quam purgantia dederint, sub finem maximam munditiem et ablutiones post coitum suspectum commendat.

Becket (priori saeculi XV. dimidio) locum affert, quo plures se novisse viros narrat, inque his Joannem de Gaunt, Lancastriae ducem, qui genitalium putridine „per frequentationem mulierum cau„sata« sint absumti. (Astruc, de morbis venereis, lib. I, cap. VII.)

Hi sunt loci maximi inter reliquos momenti, quos, huc referendos, in medicorum antiqui temporis ac aetatis mediae scriptis reperi. Apud Hippocratem, Cornelium Celsum et qui sunt reliqui, simplicem videmus ulcerum descriptionem, eorumque curationem non minus simplicem atque celerem; nec vero eorum quisquam cum foeda muliere coitu oriri ea dicit, quod a Guilielmo, demum de Saliceto primo pronuntiatum legimus, assentientibus qui eum sequuntur, nec tamen ullo eorum coitum impurum horum ulcerum et

glandularum inguinalium inflammationum causam omnium unam esse dicente.

At vero quaeritur, num ex descriptionibus horum ulcerum, quales apud Hippocratem, Celsum et reliquos antiquissimorum temporum medicos leguntur, eorum naturam fuisse syphiliticam colligi possit? Minime istud quidem.

Hippocratemne, observatorem diligentissimum et sagacissimum symptomata secundariorum morborum syphiliticorum maxime peculiaria ignorasse? Celsumne, auctorem verbocissimum, morbum tam crebrum, qualem syphilidem apud Romanos libidinibus delicatissimos fuisse futuram existimari licet, silentio praeteriisse? Ante saeculi XIII. dimidium id medicorum nulli in mentem venit, ut genitalium ulcera et glandularum inguinalium inflammationes coitui impuro attribueret, quem tamen inde ab hoc tempore plurimi in istarum affectionum causis numerant. Itaque qui locis, de quibus diximus, usi, summam syphilidis vetustatem probare student, nihil, quantum equidem censeo, hac re proficiunt. Ulcera et glandularum inflammationes quum toto corpore omnibus temporibus, quid ni in pene quoque exstiterint? quid ni etiam consensuales vel primitivas glandularum inguinalium inflammationes exstitisse putemus? Ulcera autem simplicia et spongiosa et phagadaenica et gangraenosa in pene exstitisse nec mirum nec novum, si quidem fieri potest, ut singula ulcera in diversis corporis partibus propter causas vel exteriores vel interiores, naturam assumant diversam. Quanto magis in pene, quippe qui, ut organon nervosissimum ac vasculosissimum, saepissime cuivis abusui et vexationi sit expositus. Quam facile excoriationes in hoc membro contrahantur, quam saepe pars praeputii interior herpetem praeputialem etc. recipiat, inter omnes constat. (Ricord in praelectione quondam Parisiis habita, coitum rarissime sine aliqua, quamvis levissima exco-

riatione in tenero glandis epithelio et interiore praeputii parte iniri se expertum habere dicebat. Quam excoriationem, etsi oculos fugeret, adesse, abluendo has partes acri liquido, solutione calcariae chloratae, urina etc. quemque sibi persuadere posse, quo facto ardorem lenem loco aliquo circumscripto sentiri). Quod si igitur mundities necessaria negligitur, coitus praecipue cum feminis libidinosis et foedis, fortasse etiam leucorrhoea laborantibus vel menstruantibus frequentatur: nil proclivius, quam inflammationem in illis partibus excoriatis vel ulceribus affectis augeri, ulceraque fieri impura, steatodia, imo phagedenica et gangraenosa, ita ut mors ipsa consequatur, quin vel unum luis syphiliticae symptoma apparuerit. Quae omnia si respexeris, luem syphiliticam ante saeculum XV. in Europa non exstitisse, nec prioris aetatis medicorum locis, qui huic sententiae opponuntur, quidquam contra probari, haud difficile colligas. Quod esse verum, inde vel maxime perspicuum est, omnemque tollit ambiguitatem, quod major medicorum pars, qui eo, quo morbus iste erumpebat, tempore vixerunt et scripserunt, novum eum ex omni parte esse censent, eamque illius adumbrationem nobis ante oculos ponunt, quae a prioris aetatis ulcerum descriptionibus, quas apud medicos arabicos et eorum praedecessores artisque praeceptores invenimus, mirum in modum abhorreat, quodque Joannes de Vigo et Fallopius has affectiones genitalium non syphiliticas etiam post eruptionem luis venereae commemorant, pluribusque locis separatim describunt.

Illud denique non praetermittendum, gonorrhoeam quoque jam inde ab antiquissimis temporibus exstitisse, nec esse dubium, quin et ipsa genitalium affectiones, de quibus supra diximus, saepe concitaverit, qua de re capite insequenti accuratius exponere in animo est.

CAPUT III.

Profluvia gonorrhoica ab antiquissimo inde tempore usque ad Balfour et Tode, sive annum 1774.

Gonorrhoeae virulentae, purulento - mucosi et contagiosi urethrae profluvii vestigia usque ad prima antiquitatis tempora nos deducunt. Sunt medici, inque his Dr. Eisenmann, quibus plures veteris testamenti locos (lib. III. Mosis, cap. 15; lib. II. Samuelis, cap. 3.) ubi de similibus profluviis sermo est, ad morbum, de quo quaerimus, referre haud displaceat. Etiam Herodotus morbi cujusdam mentionem facit, quo Scythae, in Aegyptum progressuri, correpti esse dicuntur, quem inter atque eum, de quo loquimur, quandam esse similitudinem haud ita absonum videtur. Hippocrates quoque eum describit, quin tamen, quae ejus fuerit natura, ad liquidum perducat. Inter alia et hoc dicit: „Assidua equitatione profluvia vel tumores sibi „contrahunt genitalium, quae tum adeo sensilia sunt, „ut vix tactum tolerent, et propter frigus ac languitu„dinem a coitu abhorreant, nec quidquam magis exop„tent, quam ut virilitate priventur." Commemoratione dignum videtur, quod ditissimus quisque inter Scythas hoc morbo est correptus, eumque igitur nimia equitatione, venatione atque coitu ortum esse existimare licet. Apud Corn. Celsum hunc locum reperimus: „Est etiam circa naturalia vitium nimia profusio semi„nis etc." (lib. IV. cap. 21.) Salutares autem in hoc affectu laudat perfusiones, natationes quam frigidissimas, remedia adstringentia, et denique ne quis supinus dormiat, monet. Itaque dubium est, utrum de simplici seminis profusione an de gonorrhoea loquatur. Apud eundem hic locus est multo magis perspicuus: „Profluit „interdum pituita multa, sanies tenuis malique odoris,

„non cocta aut aquae similis, in qua caro recens lota „est, doloresque hic locus et punctiones habet. Id ge- „nus, quamvis inter purulenta est, tamen levibus me- „dicamentis curandum est.“

Largiorem notionum copiam medici arabici nobis suppeditant, quum genitalium morbi tunc temporis apud populos orientales frequentiores essent, quam apud occidentales.

Apud Mesue duo sunt loci huc aperte referendi: „Pruritus in virga accidit ex materia acuta salsa — quan- „doque tendit per canalem ejus, et tunc accidit titillatio „in virga, et fit erectio ejus ad modum pruritus matri- „cis, ex quo muliebribus accidit priapismus et immo- „derati coitus desiderium. Et plurimum est causa dolo- „ris, quum valde acuta fuerit et pungens et ulcerans et „fit dolor ex ea et ex ventositate interclusa in concavi- „tate nervorum vel ex apostemate.“ Tum dicit: „de apostematibus virgae et corrosione ejus.“ „Si vero in „via et ductu urinae ulcera fiunt, cognoscuntur ex do- „lore magis in urinae egressione et sanie egrediente „ante urinam. Et si fit apostema in via et ductu urinae, „dolor erit quum stranguria prius, deinde facta sanie et „erupta, solvitur pustula et stranguria.“ (Eodem loco.)

Jam hic omnia pathognomonica gonorrhoeae symptomata videmus esse conjuncta: dysuriam, profluvia ex urethra, erectiones dolentes, nec nisi causa, qua exsistant, infectio ac propagatio per coitum in obscuro relinquitur.

Rhazes (saeculo X.), Almansoris regis medicus, in libro „de memorabilibus," cap. 1., similem dedit adumbrationem, et Haly Abbas (saeculo X.) gonorrhoeam accurate describit. „Quae in virga fiunt „passiones," inquit, „aliae in ipsius corpore, aliae „in meatibus accidunt. Opilatio autem, quae meatui „accidit, aut ex humore fit grosso viscoso, qui ei invi- „scatur, aut ex ulcere, significaturque urinae ardore, „et exeundi difficultate, et humore, qui erit, grosso, „aut sanie et sanguine ulcerisque spasmis etc.“ Ex his,

quae hucusque a me congesta et ante literatorum hominum oculos posita sunt ex veterum scriptis documenta, illud certe sequitur, ut, eos morbum novisse, ei, de quo quaerimus, non dissimilem, prope ad verum accedat.

Certissima autem gonorrhoici urethrae profluvii symptomata eorumque accuratissimam descriptionem in Arabistarum sive medii aevi medicorum et chirurgicorum scriptis invenimus. Gariopontus, scholae salernitanae medicus (saeculo XI.), gonorrhoeam hunc in modum describit: „Est passio vesicae et veretri, quam „qui patiuntur, seminis lapsu vexantur creberrime sine „ulla retentione. -- Et diffundunt urinam tenuem, ru„bicundam et acerrimam: et aquosum et humorosum „semen multum frequenter et sponte projicitur et „non tardatur post urinae diffusionem cum morsu fa„ctam, unde debiles fiunt etc.“

Valescus de Tharanta locum aperte ad urethrae profluvium referendum affert hunc: „Si ulcus fue„rit intra substantiam virgae in meatibus ejus, curetur „ut ulcus vesicae, praecipue cum syringa, quae non „multum intus penetret“ (Philon. lib. VI. cap. VI.). Alio loco de ardore urinae ita loquitur: „Tantus dolor „in urinando, quod videtur, quod ignis transeat per col„lum vesicae et virgam, et quod ardeat.“

Magni momenti est edictum ab Johanna, utriusque Siciliae regina, in Avenionensium observantiam publicatum (anno 1347), quod Astruc in latinam linguam transtulit et §. 4. ita dicit: „Jubet regina Sabbato quo„libet a Bayliva una cum Chirurgo a Consulibus pro„posito mulieres meritorias singulas lustrari, quot„cumque in Lupanari prostant. Et si qua scortatione „aegritudinem ullam contraxerit, a caeteris seponi ut „seorsim habitet, ne sui copiam facere possit, ut morbi „praecaveantur, qui a juvenibus possunt concipi.“ (Astruc de morbis vener. lib. I. cap. VII.)

Etiam certius est edictum anni 1430, quod idem

Becket nobis conservavit. Maximum prae se fert severitatem, quippe omnibus, qui puellam hoc morbo infectam in publico libidinum deversorio habeant, centum Schillingorum, quos dicunt, mulctam minatur.

Gonorrhoeae nomen etiam illo, quo lues syphilitica proruperit, tempore non ex omnibus medicorum scriptis abiisse, sed ejus etiam saeculi XVI. initio, quamvis Astruc et Freind contradicant (Astruc gonorrhoeam intra ann. 1540 et 1550, quod fere incredibile est, erupisse contendit), ut morbi proprii mentionem fieri, et Paracelsum anno 1528 vel 1529 vere primum verbis perspicuis atque dilucidis luis venereae symptoma eam designasse legitur. Quod quamquam ita se habet, tamen est, quod miremur, gonorrhoeam post eruptionem luis venereae ab historicis et medicis rarissime commemorari. Hoc vero propterea factum esse putamus, quod illius temporis medici, novae luis, quam epidemiam haberent, eruptione attoniti, omnem mentem atque cogitationem in istum morbum intenderent, atque hanc ob rem gonorrhoeam, quoad pathologiam non minus quam therapiam jam dudum cognitam atque perspectam, in oblivionem esse aductam. Deinde, quum magis magisque appareret, morbum non epidemice propagari, sed nonnisi per contagium et infectionem directam, primumque commutationes topicas atque perturbationes, sequentibus utique generalibus subinde symptomatibus, provocare, gonorrhoeae quoque medicis aegrorum genitalia examinantibus denuo in mentem veniebat, quum in ejusmodi quaestionibus gonorrhoeam ulceribus syphiliticis adjunctam iis saepe in eodem aegroto occurisse, verisimile sit. Prima igitur luis venereae periodo, quae annos complectitur viginti, medici eam tractantes, gonorrhoeae, quam jam ante luis eruptionem exstitisse memoriam tenerent, nullam faciebant mentionem, sed eam accuratissime ab ea distinquebant, et alia eaque simplicissima ratione curabant. Posteriore

vero tempore, quum gonorrhoeam jam ante luis eruptionem minime ignotum fuisse medicis memoria excideret, quum luis venereae et gonorrhoeae symptomata topica saepe conjuncta apparerent, ipsaeque pustulae atque luis syphiliticae ulcera in exterioribus et interioribus genitalium partibus praetermitterentur: gonorrhoea, ut gallica, luis universalis, quae sequebatur, causa atque origo falso designata, et a Paracelso lui syphiliticae, tanquam pars in ea inhaerens, est adscripta.

Ab illo inde tempore ducentos amplius annos eam, nullo contradicente, ut luis syphiliticae symptoma, idque frequentissimum, in omnibus libris et ab omnibus omnium universatum artis medicae professoribus comprobatam esse scimus, donec Balfour (1767) et Clem. Tode (1774) contagiorum venereorum differentiam in controversiam vocarunt, ad quam nunc recurremus.

CAPUT IV.

Differentia contagii syphilitici et gonorrhoici argumentis probanda.

W. Cockburn, (the symptoms, nature, cause and cure of gonorrhoea, London 1715) quamquam contagium gonnorrhoicum a syphilitico nonnihil certe diferre se existimare dicit, ut quod in vegetabilia acidi instar reagat, P. Fabro autem (essai sur les maladies vénériennes. Paris. 1748) id laudi vertendum est, quod primus ad morbos secundarios eosque diversos, rem maximi ad argumentationem pro differentia momenti, animum advertit; tamen neuter eorum aperte contagiorum differentiae partes suscepit, sed uterque uno (syphilitico) contagio stetit nec opiniones temere conceptas temporumque diuturnitate confirmatas convellere ausus est. Balfour demum et post eum Halles et

Ellis esse gonorrhoeam syphiliticam negabant, nec luem veneream unquam subsequi, nec ad eam (gonorrhoeam) curandam mercurio opus esse contendebant. (Ch. Hales, a letter containing new thoughts and observations in the cure of the veneral gonorrhoea. London 1770). Cui sententiae quum medici quidem vehementer repugnarent, Duncan vero et Tode eam sequerentur: certamen pro differentia contraque eam in Germania quoque percrebuit, differentiaeque defensores, quorum primum locum tenebat Benjaminus Bell superiores discessuri esse videntur. (Oesterlein historisch-kritische Darstellung des Streits über die Einh. oder Mehr. der ven. Contagien. Stuttg. 1836).

Quare factum est, ut societas medicinalis Vesontina hanc quaestionem dissolvendam publicae concertationi proponeret, et Hernandezio, qui inoculatione nixus, differentiae causam amplectebatur, praemium tribueret. (Essai analytique sur la non — identité des virus gonorrhoique et syphilitique par J. F. Hernandez. Toulon 1812). Continuabant autem inoculationem contagii gonorrhoici et syphilitici Ricord, Mairion, Fricke etc. eaque re argumenta ad differentiam firmandam gravissima congerebant. Quod ad morbos gonorrhoeae secundarios attinet, ad eos jam Fabrum (1748) animum advertisse supra jam dictum est; uberius autem de iis disseruit Benjaminus Bell. Post eum de Autenrieth (v. Autenrieth, allgemeine Scropheln von Trippergift; in den Tübinger Blättern Bd. I. Hft. II. 1815) et Ritter (Darstellung der Aehnlichkeit und Verschiedenheit, die zwischen der Schanker- und Tripperseuche wahrgenommen wird; Leipzig 1819.) et Eisenmann (der Tripper u. s. w.) doctrinam de morbis gonorrhoicis consecutivis et de dyscrasia gonorrhoica particulari observationibus suis ad rei medicae artem ac praecepta revocarunt, atque gravissimam in argumentatione pro differentia propositionem rationibus fir-

missimis ita probarunt, ut infirmari amplius nequeat. Jam his paucis praemissis ad ipsam pro differentia argumentationem redeo. Distribuuntur autem ea, quibus argumentatio atque sententia mea nititur in paragraphos quinque:

I. Origo utriusque contagii diversa et historiae documentis probata, eorumque aetas, in Europa certe dispar.

II. Eorum differentia quod attinet ad symptomatologiam atque sedem morborum, qui per ea excitantur, primariorum, horumque secreta.

III. Morborum utriusque contagii secundariorum comparatio.

IV. Therapiae utriusque morbi ratio longa diversa.

V. Inoculationis eventus.

§. 1.

Origo utriusque contagii diversa et historiae documentis probata, eorumque aetas in Europa certe dispar.

Fuisse, qui luem syphiliticam morbum minime novum esse putarent, sed eam jam diu ante saecul. XV. finem exstitisse, adeoque ad prima quaeque generis humani tempora recidere contenderent, supra dictum est. Quorum sententiam ab omni veritate abhorrere et ab omni fidei historicae praesidio esse destitutam, capite II. ad liquidum perduximus, et affectiones genitalium ulcerosas jam ante luis venereae eruptionem, quin etiam antiquissimis temporibus exstitisse, nec tamen ab ulceribus in aliis corporis partibus natura sua diversas fuisse, ne vel minima quidem ex parte in ambiguo reliquimus. Quum loci quidem a nobis afferantur, ex quibus varias ulcerum consecutiones plane respicere liceat, tumen ne semel factum esse videmus, ut ante finem saeculi XV. ejusmodi morbum topicum lues

syphilitica secundaria subsoqueretur. (Sprengel, Geschichte der Arzneikunde. Th. II. S. 525). Ut vero nobis non contingit, ut, quae sit luis venereae patria, sive locus, ex quo primo sit profecta, historiae documentis confirmaremus, ita altera ex parte non magni ad differentiam probandam momenti est, utrum in India occidentali vel in Africa exorta, an in Europa ex lepra vel sua sponte evoluta sit. Illud quidem constat, luem syphiliticam morbum fuisse in Europa novum, nec unquam ante hac observatum; eumque symptomatibus ex omni parte propriis sub finem saeculi XV. testibus cunctis illius temporis medicis atque historicis exstitisse.

At luis gonorrhoicae originem ad terras orientales esse referendam, verisimillimum est, testantibus, quos capite III. attulimus veteris testamenti locis, utpote in quibus aperte de urethrae profluvio eoque contagioso sermo sit. Patet hinc, luem gonorrhoicam sub forma gonorrhoeae virulentae, jam diu ante eruptionem luis venereae exstitisse, sed inter primam hujus propagationem parum quidem observatam atque descriptam, nec tamen non esse repertam. Posteriori quoque tempore lues gonorrhoica minime evanuit, et symptomata sua pathogmonica jam aevo medio egregie descripta perpetua usque ad nostram aetatem conservavit. Ex quibus omnibus haud dubie colligere licet originem diversam aetatemque disparem historiae documentis confirmatam, satis magni ad differentiam probandam esse momenti.

§. 2.

Eorum differentía, quod attinet ad symptomatologiam, atque sedem morborum, qui per ea excitantur, primariorum, horumque secreta.

Primaria luis syphiliticae forma est pustulosa. Sub hac igitur forma in glande penis, vel in praeputio, in-

teriori praesertim illius parte mucosa, fere appareret, nisi syphilis primaria per coitum plerumque propagaretur, quo initio saepissime excoriationes exsistere supra docuimus, ita ut in locis excoriatis directo infectis, pro pustulis syphiliticis altera continuo syphilidis forma, sive ulcus syphiliticum (Chancre d'emblée) appareat. His igitur ex causis quibus accedit, quod aegrotantes interdum formam primariam (pustulosam) praetermittunt, vel pustulam in loco prurienti scabendo aperiunt, vel sero, pustula jam sua sponte rupta, medicum consulunt — his inquam ex causis fit, ut forma primaria raro tantum observetur, nisi eam per inoculationem provocamus.

Altera igitur eaque frequentissima luis syphiliticae forma ulcus est syphiliticum, cujus accuratissima descriptio in omnibus manualibus invenitur.

Quamquam vero in iis omnia ac singula symptomata enumerata legimus, quae in hujusmodi ulcere apparere debeant, ut sit syphiliticum, ut verum ulcus Hunteri, ut natura sua proprium: tamen haec symptomata maximam partem fortuita sunt, quippe quae ad ulcerum aspectum, eorumque colorem, formam, duritiem pertinent, atque ex quibus ad diagnosin constituendam nil prorsus certi intelligatur, quum fieri possit, ut alia quoque ulcera haec symptomata omnia conjuncta contineant, quin tamen sint syphilitica, quumque adeo ope praeparatorum plumbi, et lapidis infernalis et aquae frigidae cuicunque ulceri tetrum colorem, margines steatodes ac laceros, fundum durum et excavatum impertire possimus. Ceterum haec symptomatologia ad differentiam morborum et contagiorum, de quibus sermo est, probandum, omnino opus non est. Satis habemus, ut formam luis syphiliticae primariam esse pustulosam sciamus, nisi loci excoriati contagio inficiantur; quod enim ubi fit, forma ulcerosa continuo apparet. Haec

autem ulcera vel cuti vel telae cellulosae subcutaneae insidunt.

Contagii syphilitici vehiculum et gestor pus est, quod medici tam diligenter atque accurate describunt, ut revera semper unum idemque putes. Est pus illud contagii syphilitici vehiculum, si modo loci excoriati atque ulcerosi secretum hoc nomine apellare velimus, sed color et consistentia et odor non ex principio specifico pendent, sed ex inflammationis gradu, qui et ipse ex variis pendet causis, tam interioribus quam exterioribus. Unde sequitur, ut ulceris syphilitici secretum non minus quam alius cujusvis a pure bono usque ad saniem liquidam variet. Secretum syphiliticum in vegetabilia acidi instar reagere dicitur, atque in avicularum fauces immissum eas necare, floresque reddere deflorescentes etc. (Attenhofer in der russischen Sammlung für Natur- und Heilkunde, B. I.)

Jam ut ad luem gonorrhoicam transeamus, forma ejus primaria est gonorrhoea virulenta. Primum ejus symptoma est urethrae, fossae imprimis navicularis pruritus topicus, certo quodam contagio provocatus, atque titillatione indicatus. Tum congestio oritur durans, quam calor et ardor lenis in minctione sequitur; brevi autem inflammatio evoluta ex organica plastice commutata cognoscitur. Insidit autem morbus mucosa urethrae membrana ejusque glandulis, quae in statu normali muci puri, synoviae similis non majorem copiam secernunt, quam quae rationi physiologicae satisfaciet; et major enim copia et inflammatione acrescente purulentior secernitur, jamque de eo idem valet, quod de alio quovis membranae mucosae atque inflammatae secreto; nam et quantitas ejus et color et consistentia ab inflammationis gradu pendet, nec nisi odor ei proprius per totum decursum sibi constare videtur. Hoc autem secretum in alcalis modum reagere, et inferioris ordinis

organismos multo minus, quam ulceris syphilitici secretum infestare dicitur.

Saepe autem fit, ut utrumque morbum intumescentiae glandulorum inguinalium consensuales atque inflammationes comitentur. Addendum vero insuper, bubones sympathicos ex ulceribus syphiliticis ad pus colligendum esse propensiores, quod cum vehementia irritationis, inflammationem excitantis, cohaerere verisimile est.

Morbi luis gonorrhoicae particulares eique proprii sunt morbi gonorrhoici, quos dicimus consecutivi, qui mediem inter luem gonorrhoicam primariam et dyscrasiam gonorrhoicam locum tenent. Quales esse cap. I. dixi: metastases gonorrhoicas, ulcera membranarum mucosarum gonorrhoica et desorganisationes systematis genitalis et uropoëtici ex gonorrhoea virulenta. Metastases autem gonorrhoicae, quibus ophthalmia gonorrhoica et dacryocystitis gonorrhoica, et otitis gon. et gonorrhoea intestini recti etc., tum orchitis et prostatitis adnumerandae sunt, acutissime decurrunt nec per dyscrasiam gonorrhoicam provocantur, sed, ut gonorrhoea virulenta urethrae, ita et ipsae, topicae sunt, ac vel illius suppressione vel occulta quadam singulorum organorum affinitate vitali per consensum exsistunt. Sub utroque autem casu vel gradaria proclivitas participandi primarii morbii processum vel dispositio ad omnem processum suscipiendum fortasse aut ab organorum vicinitate aut structurae similitudine, aut functionis analogia pendet. —

Etiam ulcera membranarum mucosarum gonorrhoica et desorganisationes ex gonorrhoea virulenta systematis genitalis et uropoëtici modo topica sunt, modo cum dyscrasia gonorrhoica conjuncta.

Jam igitur quum summam utriusque morbi processus in nuce quasi exposuerimus, non possumus, quin interrogemus, num duo aliorum, praeter hos, morborum processus observari liceat, qui in iisdem organis adeo-

que saepe eodem tempore decurrentes, tam manifestam differentiam prae se ferant?

§. 3.

Morborum utriusque contagii secundariorum comparatio.

Lues syphilitica et gonorrhoica primaria, ut crasis organismi commutandae vim habent, ita utraque dyscrasias proprias, inter se non minus, quam primariae eorum formae, diversas provocare possunt. Omnia vero contagia, sive vim ad organismum acutam sive chronicam exhibent, contagia fiunt atque sunt eo, quod accedentibus ad sui ipsorum procreationem causis necessariis ipsa se constituere possunt. Per se ipsa quidem sensibus non percipiuntur; sed certis quibusdam morborum formis, quorum secreta contagiorum vehicula sunt, sub oculos cadunt et cognoscuntur. Atque quum alia maxime sint volubilia ipsoque aëre pro vehiculo (gestore) utantur, alia tamquam glebae adscripta, nonnisi per contactum directum adeoque inoculationem ipsam communicentur: intelligitur, cur diversa ratione propagentur. Duplici enim via ad organismum accedunt, quum aut per respirationem a mucosa bronchiorum membrana, aut per contactum ab integumentis communibus recipiantur. Sub priori casu, si modo non continuo mors sequatur, per organismi molimina topica fiunt, sub altera vero topica manent. Ubi semel organismo insederunt, vitae quasi suae periodos perpetuo expansionis tentamine conficiunt. Organismus contra omni virium intentione infestos sibi advenas in superficie, tamquam in extremis finibus retinere et prorsus denique depellere studet. Quod ei vel soli, vel medicamentorum auxilio contigerit, ad pristinam integritatem redit. At si morbi secretum, quod resorbuit, extrudere nequit, si excretionis facultas debilitata vel excretio

aliqua subito turbata vel impedita est: morbi secretum remanens, dyscrasiam certam quandam efficit. Quae dyscrasia sanguinis sub propriis morborum (quos dicimus secundarios) formis apparet, in quibus primaria eorum natura particularis exstincta est, nec nisi organismi commutatio ab eo exorta (crasis quaedam abnormis et, quae ab ea provocatur, plastice organica proprie mutata) permanet et sub certis quibusdam morborum formis apparet. Qua propter metastases gonorrhoicae et desorganisationes gonorrhoicae vel ulcera membranarum mucosarum gonorrhoica non dyscrasiae gonorrhoicae adnumeranda, sed formae morbi consecutivae quidem sed topicae habendae sunt. Quod etiam experientia probari infra videbimus, ubi de inoculationis eventu sermo erit.

His igitur de dyscrasiarum ex contagiis evolutione praemissis, jam ad dyscrasias, de quarum utraque quaeritur, redimus, ac primum id quasi sua sponte sequitur, ut dyscrasiae, ex primariis morborum formis natura sua diversissimis ortae, et ipsae sub formis appareant plane diversis. Quod ut demonstremus formas dyscrasiae syphiliticae et gonorrhoicae principales inter se comparabimus.

Formae autem, sub quibus dyscrasia syphilitica plerumque exsistit, sunt: ulcera in faucibus et naso, inflammatio atque exulceratio glandularum lymphaticarum inguinalium, rarius vero axillarium etc., tum periostitis et ostitis, caries, variae exostosium et periostosium formae, dolores osteocopi nocturni, exanthemata maculosa, pustulosa et tuberculosa, Iritis et Keratitis etc. Quibus formis similes ubi in dyscrasia gonorrhoica invenimus?

Ut omittam denas fortasse gonorrhoeas in singula ulcera syphilitica primaria, et centenas dyscrasias syphiliticas in singulas dyscrasias gonorrhoicas cadere, haec omnia, ut omittam, diversa earum natura etiam formis dyscrasiae gonorrhoicae plane propriis probatur.

Si gonorrhoeae processus in exteriori cutis parte decurrit, herpes gonorrhoicus, exanthema vesiculosum, apparet cum ulceribus gonorrhoicis, scissuris, rhagadibus et cutis exterioris callositatibus saepe conjunctum. Ubi vero dyscrasia tunicas fibrosas invadit, rheumatismum gonorrhoicum et arthritim et periostitim gonorrhoicam gignit, ex qua tamen non caries sed necrosis ossium subjacentium semper nasci dicitur. Fieri quoque potest, ut cordis valvulae et membranae ejus serosae nervorumque vaginae ab ea invadantur, eaque varia cordis vitia neurosesque gonorrhoicas, quas novimus, concitet. In glandulis vero similibusque organis scirrhosas degenerationes, quales sunt degeneratio prostatae, testiculi, provocat. Forma autem dyscrasiae gonorrhoicae memoratu longe dignissima tubercula sunt gonorrhoica a medicis Ritter, Autenrieth, Schoenlein, Eisenmann descripta, quae dum sanari possent, diu dubitatum est.

Observationes de tuberculis gonorrhoicis accuratissimas Dr. Gietl (v. Gräfe und v. Walther's Journal, B. XXIII, Hft. 3, S. 447) et Jahn (Versuche für die praktische Heilkunde, S. 84) nuper in lucem ediderunt, nonnullosque casus prosperrimo successu tractatos nobis tradiderunt.

Ceterum quum id mihi non proposuerim, ut copiosius in hoc tractatu de singulis morborum formis disputarem, quumque eorum symptomatologiam ex medicorum, quos appellavi, scriptis satis notam esse existimare liceat, in universum eorum differentiam non praetermissam velim, quae, si formas utriusque morbi sine opinione praejudicata inter se comparaverimus, cuivis sponte apparebit.

Jam quum hunc paragraphum ad finem perduxerim, dyscrasiam syphiliticam degeneratam paucis, si licet commemorabo, quam, ne quid ommitterem, in partitione (capite I.) luis syphiliticae formis adnume-

ravi, quamvis eam ad differentiam probandam nullius momenti esse censeam. Referuntur autem ad eam dyscrasiae syphiliticae complicationes cum scrophulosi, arthriti, hydrargyrosi, lepra, impetiginibus etc.

§. 4.

Therapiae utriusque morbi ratio longe diversa.

Quod fere fit, ut medici saepe extrema quaeque atque opposita amplectantur, id etiam qua ad luem syphiliticam mercurio curandam factum videmus. Quo quum medici per aliquot saecula, ut remedio primo et quasi panacea quadam uterentur, jam a multis eorum prorsus rejicitur, et tanquam medicamentum valde periculosum atque perfidiosissimum infamatur. Immerito utrumque.

Ut enim contendere non est in animo, luem syphiliticam sine mercurio sanari non posse, quam saepe sine illo sanatam esse experientia docet: ita eam saepius idque celerius, nec certe minus tuto adhibito mercurio sanari medicum, qui quidem recte vereque sentiat, esse puto nullum, qui neget. Quod idem de syphilide secundaria affirmari licet: factum quidem esse, ut mercurio cederet, factum etiam, ut aliis medicationibus ex fundamento quasi sanaretur. Utcunque erit, una tamen fortasse syphilidis secundariae forma est, quae curatione per mercurium celeri atque exclusiva indigeat; Iritidem et Keratitidem syphiliticam. Ad quas curandas nisi antiphlogistica cum mercurialibus alterantibus apte conjunguntur, atque hoc modo dyscrasia impeditur, quominus in synechiam distractionemque pupillae, in exsudatum inflammatorium etc. exeat, de oculo aegroti actum est.

Alia remedia ad varias syphilidis formas curandas utilia perspecta, auri sunt praeparata et acida mineralia. Non minus vegetabilium quorundam, qualia

sent lignum Guajaci, radix Sassaparillae etc., decocta ad syphilidem tam primariam quam secundariam curandam utilissima praedicantnr, atque multis sub formulis in officinas nostras inducta sunt.

Ec quis vero medicus uno vel altero horum remediorum ad gonorrhoeam virulentam curandum opus esse putabit? ec quis, ut putet, metastases ejus rapidissimas e. g. ophthalmiam gonorrhoicam hac ratione curare audebit?

Gonorrhoeae virulentae in stadio inflammatorio nonnisi antiphlogistica et emolliens atque evacuans curandi ratio convenit, quae vero prorsus symptomatica sit oportet; nam neque inflammationis gradus neque ejus character non in censum venire debet, quo facto, quae remedia, ut singulis morbi modificationibus aptissima, ex apparatu antiphlogistico promenda sint, recte judicabitur, in quibus, prout res se habent, etiam nervino - antiphlogistica, i. e. narcotica, qualia sunt: opium, hyoscyamus, aqua laurocerasi etc., locum habere possunt. Adjuvabitur autem curatio diaeta blanda ac simplicissima. Quod si gonorrhoea virulenta chronica facta est, remedia balsamica, tonica, adstringentia, roborantia desiderat et ipsas injectiones leniter irritantes et corrosivas. In metastasibus igitur prorsus necessarium est, ut antiphlogosi efficacissima et remediis derivantibus, qualia sunt: laxantia, vesicantia etc. rapidis destructionibus, quas morbi venenum minatur, occurramus. Adjuvetur denique morbi tentamen ad organum primum occupatum, urethrae profluvium suppressum irritamentis topicis denuo provocetur, imminutum augeatur. Ulcera gonorrhoica membranarum mucosarum simplicium ulcerum curationem desiderant. Desorganisationes systematis genitalis et uropoëtici nisi cum dyscrasia gonorrhoica conjunctae neque ex ea ortae sunt, ope chirurgica rei convenienti vincentur. In variis dyscrasiae gonorrhoicae formis medicamenta diversis-

sima, sed frustra ea quidem, sunt adhibita. Autenrieth barytam muriaticam cum opio et cicuta proposuit; Berg mercurium praecipitatum rubrum cum antimonio; Koechlin cuprum; Ritter aurum muriaticum; Eisenmann arsenicum, nec minus revocatio gonorrhoeae commendata est, quin vero eventus expectationi responderet. His medicamentis omnibus Kali hydrojodinicum et Jodinum purum praeferendum esse videtur. Illud quidem observationibus atque experimentis, quae Doctores Gietl et Jahn ceperunt, probatum esse scimus, haec remedia, si modo apte adhibeantur, multum ad tubercula gonorrhoica et stenoses atque pseudoplasmata gonorrhoica sananda valere. Luis igitur syphiliticae et gonorrhoicae therapia, quam paucis tantum lineamentis adumbravimus, cum argumentis, quae ad utriusque morbi differentiam probandam jamjam attulimus, plane congruit, eorumque numerum adauget. Ratio, qua medici lui syphiliticae primariae mederi solent, sive est mercurialis sive non mercurialis, utique manifestum eorum studium testatur, organismum, morbi producta ejicere conantem, adjuvandi, crises quasdam arte provocandi, morbi processum, simulac sine periculo fieri potest, praecidendi. At gonorrhoea virulenta ex omni parte symptomatice curatur; apte enim praeveniendo atque interveniendo medicus decursus abnormitates quidem avertere, nec vero decursum normalem inhibere studet.

Morbi autem luis gonorrhoicae consecutivi, quum ad unum omnes ei proprii sint, eorum quoque therapia cum luis syphiliticae curandae ratione nulla ex parte comparari potest. Illud quidem concesserim, esse therapiae dyscrasiae syphiliticae similitudinem quandam cum therapia dyscrasiae gonorrhoicae, in his enim curandis, praecepta, quae therapia ad dyscrasiam quamcunque curandam, dat, sequimur; res enim in eo vertitur, ut organismus ad crasin normalem reducatur atque hanc ob

causam remedia adhibentur alterantia et metamorphosim concitantia organicam, et absorptionem accelerantia et excretionem augentia.

§. 5.

Utriusque contagii inoculationis eventus.

Summa eorum, quae **Ricord** Parisiis, **Mairion** Lovaniae et **Fricke** Hamburgi de inoculationis contagiorum venereorum eventu, experimentis cognoverunt, ad controversiam de contagiorum venereorum differentia ratis legibus dirimendam maximi momenti esse censeo, et non possum, quin ea hominibus literatis proponam.

A. Qualis sit contagii syphilitici inoculationis effectus.

a) Cujusvis ulceris siphylitici primarii in stadio progressionis secretum, membranae mucosae impositum, ulcus syphiliticum creare potest, et ope lanceolae epidermidi inoculatum pustulam gignit, quae sub diem quintum vel sextum exarescens, ulcus syphiliticum crustatum relinquit.

b) Ulcus tali modo inoculatum et ipsum propagari potest.

c) Pus syphiliticum loco cuidam excoriato admotum, non, ut epidermidi inoculatum, pustulam primum et deindi ulcus, sed ulcus syphiliticum (Chancre d'emblée) continuo gignit; id quod in sanguisugae ictibus atque locis excoriatis saepe observare licet.

d) Quod si eodem vel interjecto aliquo tempore eidem homini tale pus saepius inoculatur, nunquam non idem erit eventus, si modo inoculatio recte facta sit. Unde apparet, in errore versari Wendt, qui syphilidem primariam vel etiam secundarium semel acquisitam, adversus alteram infectionem tueri putet; imo vero ulcera vetustiora et recentiora non raro simul inveniuntur.

e) Contagium syphiliticum nunquam, quantum equidem observatum est, gonorrhoeam provocat, nec magis mucus gonorrhoicus ulcus syphiliticum; quin tamen se invicem excludant; fit enim, ut in uno eodemque homine exsistant eodem tempore.

f) Ulcera syphilitica cum induratione in fundo et tela cellulosa ulceri circumjacente, adeoque ejusmodi cicatrices medicum admoneant, ut cautionem exhibeat; in hoc enim casu morbi secundarii, praesertim exanthemata syphilitica sequi, observatum est.

g) Ulcera syphilitica primaria morbi topici habendi sunt.

h) Bubones, glandularum, imprimis vero glandularum inguinalium affectiones inflammatoriae, aut sunt

- *α*) solummodo inflammatorii (sympathici), quo in casu fieri potest, ut vicinam aliquam vel syphiliticam vel gonorrhoicam vel aliam inflammatoriam affectionem comitentur, et inoculari nequeant; aut
- *β*) specifici (symptomatici) qui inoculari possunt et ex directa syphilitici ulceris viri resorptione orti, ulcera formant primaria in interiore glandularum parte; hujusmodi ulcera glandularum inguinalium syphilitica, nulla quoque topica genitalium affectione praecedente observata esse dicuntur (Bubons d' emblée); aut
- *γ*) secundarii, inoculatione non transferendi, et plerumque cum aliis formis secundariis conjuncti.

i) Syphilis secundaria, quantum equidem observatum est, nunquam inoculatione transferri potest, quod verum esse experimenta omnium, qui inoculationes instituebant, medicorum testantur, atque haec res et ipsa sententiam, quam §. III. de syphilidis secundariae natura pronuntiavimus, confirmat. Dyscrasia enim est, nec vero magis quam aliae dyscrasiae, quales sunt

scrophulosis, arthritis etc., contagiosa, sed haereditaria tantum.

B. Inoculati contagii gonorrhoici effectus.

a) Gonorrhoeae virulentae in stadio inflammatorio secretum, membranis mucosis admotum, gonorrhoeam provocare solet, nunquam vero ulcera syphilitica.

b) Secretum gonorrhoicum, quod attinet ad propagandi facultatem, nullo modo aeque sibi constat, ac secretum syphiliticum.

c) Ope lanceolae epidermidi suppositum punctionem rubefacit; rubor vero die secundo vel tertio evanescit, quin ullum sui vestigium relinquat.

d) Pus gonorrhoicum aliquantum temporis membranis mucosis adhaerens eas corrodit, nec non fieri potest, ut ulcera nascantur, quae vero nunquam inoculari possunt.

e) Pus ulcerum gonorrhoicorum, quae saepe in interiori proputii parte inveniuntur, sine ullo effectu inoculatur.

f) Secretum gonorrhoicum, quo est puri similius, ita major vis ejus contagiosa; quo similius est muco, ita vis contagiosa minor.

g) Puris metastasium gonorrhoicarum, qualis est ophthalmia gonorrhoica, eundem fere ac secreti gonorrhoeae virulentae esse effectum, ex analogia conjicere licet.

h) Pus bubonum inguinalium vel testiculorum abscessuum, qui ex gonorrhoea virulenta nati sunt, frustra inoculatur.

i) Secreti dyscrasiae cujusdam gonorrhoicae inoculationem nullam observatam inveni. Id vero ne inoculari posse, sed, ut sunt reliquae

dyscrasiae, ita et ipsam haereditariam esse, verisimillimum est.

Has igitur theses si inter se comparaverimus, singulas aliquid, utriusque contagii naturae proprium, continere inveniemus. Itaque quum singulis eorum differentia probari videatur, etiamsi nil aliud accesserit, tam firmo eam praesidio munitam esse videmus, ut amplius impugnari prorsus nequeat.

Quod si vero summam eorum omnium, quae hucusque a me dicta sunt, repetierimus, tria prima capita conjuncta primum differentiae argumentum continent, atque historicam argumentationis partem constituunt.

Qui sequuntur paragraphi quatuor utriusque contagii naturam diversasque morborum formas utrique eorum proprias exhibentes partem argumentationis pathologico-therapeuticum complectuntur.

Jam si operam, quam huic rei tractandae navavi, a me non frustra susceptam, sed id me consecutum esse cognovero, ut, quid hac in re verum sit, nulli non appareat, affatim mihi esse praemii putabo et me ipsum scientiae aliqua ex parte consuluisse.

Theses defendendae.

---

1. Contagium syphiliticum a contagio gonorrhoico natura sua differt.

2. Magna neurosium copia ortum ducit ex praevalente venositate.

3. Pneumonia nil aliud est, quam croup parenchymatosa.

4. Febres nervosae a febribus cum symptomatibus nervosis decurrentibus probe distinguendae.

5. Infans utero reclusus plurimum oxygenii per funiculum haurit umbilicalem,

6. Blennorrhoea venerea lui universali gignendae par est.

7. Qui cutem inter et tubum alimentarem viget consensus dynamicus, magni est in formandis pluribus morbis; ita persaepe in morborum sanationis processu momenti.

8. Ex cujus (7.) vel neglectione vel non recta ponderatione falsae non raro indicationes therapeuticae.

9. Dantur amaurosis et cataracta haereditaria.

10. Laryngotomia per se non est operatio periculosa, et indicata sat mature instituta, omnibus aliis praeferenda remediis.

11. Ophthalmia scrophulosa est in oculo, quod scrophulosis toto in corpore.

12. Ligatione arteriae spermaticae castratio substitui non potest.

13. Vera de homicidio sententia a medico prodit et ab hoc judex legem desumit damnationis.

14. Insigne est in morbis producendis, perferendis et sanandis, voluntatis imperium.

